INNOVATY-
BERIS CVM ISTV-
LA COMMER-
CIA.

STVDIOSÆ IVVENTVTIS
COLLEGII BRAVNSBERGEN-
sis Societatis IESV
GRATVLATIONES.



BRAVNSBERGÆ.
Excudebat Ioannes Saxo: M. D. XC. I.

REVEREN-
DISSIMO DOMINO
PETRO MARIÆ VVLCANIO,
Protonotario atq; in Regno Poloniæ
Commissario Apostolico.

Thomas Dormannus Sanctiss. D. P. in Seminario Eraunsbergensi Alumnus. S.

REuerendiss. Dñe. Quæ de nouo inter Romanos ac Dantiscanos nostros cõmercio, deq; nauigatione ordinaria hinc Romam vsq; in posterũ instituenda, partim ex litteris tuis, partim ex rumore iã peruulgato, proximis superiorib. diebus in his partibus percrebuere; mirum dictu est, quantos animorum motus concitarint. Et iure quidem. Ea enim est rei vel nouitas vel amplitudo, quæ non immerito noua quadam attẽtione animos omniũ erigat atq; in se conuertat. Itaq; vt fœlix id faustumq; ac fortunatum omnibus accidat, D. O. M. cum primis precamur. Et quia de ijsdẽ nostræ quoq; Musæ, pro sua virili, paucula hæc lusere: tibi vicissim ea cõmunicanda; quin dicanda etiam visa sunt: vt cui potissimũ magna negocij bene cõfecti pars accepto ferenda videatur. Tu pro tua humanitate singulari, ea benigne admitte, atq; ad maiora indies accingere. Ex Seminario Brunsbergensi 3. id Nouemb.

CIↃ. IↃ. XCI.

DIALOGISMVS
POETÆ ET FAMÆ.

PO:

QVO Fama tendis passibus tantis celer,
Quásue petis oras? Quod genus populi nouis
Implere gestis aureæ tubæ sonis?
FA: Audiat vndiq; maximus orbis
Et qui rutilos solis ad ortus,
Et qui medios solis ad æstus,
Et qui Hesperios solis ad ignes,
Rigidæq; habitat noctis ad vmbras:
Audiat vndiq; maximus orbis.
Quæ Fama vagis cano rumoribus,
Non mendacibus efficta sonis,
Sed visa fero, sed certa cano.
Maximus Vrbis pastor & orbis,
Vigili vigilans cui vigilantia

Dat GREGORII meritum nomen:
Miseransinopes, aperit largas
Laxatq; manus; atq; vt pauperi ac
Fame semineci, perpes pabulum
Pariat turbæ; mittit ad Austros,
Mittit ad Arcton.
Cernis vt alta mare veliuolum
Classe relucet? Volitant plenis
Carbasa ventis, sulcantq; nouo
Æquora tramite, spumat refluus
Sub rate pontus. Labor hic omnis
Sudat inopibus, tibi Tybri pater
Ciuiq; tuo, pauperi & accolæ,
Pontificis GREGORII Maximi
Consilio, ductu, ære, auspicijs.
Po: Miranda canis, at pande clarius prec or
Quæ auspicia? queue maria? quã narras famẽ?
Rateue? tantis quæ sient dignæ sonis.
Nescis patulus quid gerat orbis!
Fa: Quidue Orbis caput, Urbs Romulidûm?
Accipe paucis. Infan-

Infanda fames Herebo genita, Fames.
Patrios Orci pertæsa sinus,
Superos cæperat ambire lares.
Ergo infaustum porrecta caput,
Hic vbi tremulis Ætna incendijs
Typhœa premit, latè luridos
Circum agit oculos, vicina petens,
Aptasq; sibi sedes deligens.
Forte sub illos orbata dies
Præsule, princeps Roma vacabat.
Vidit, & licet exclamat: Io,
Vicimus, vrbis nos sceptra manent.
Dixit: & vnâ volucres dirigit
Eôdem gressus, mediaq; locat
Vrbe imperium. Nec sola venit,
Trahit inuisas secum socias,
Febris omne genus, morbi omne genus,
Necis omne genus, funestum agmen.
Famq; per omnes passim plateas
Obscœna luis, regna tenebat.

Ibat macie confecta cutem
Plebs lacrymabilis, ac tartareo
Oppreßa iugo, nil niſi gemitus
Luctuſq́; graues triſte ſonabat.
Heu quis crudam rerum faciem?
Quis tam diræ Famis incommoda?
Quis tot funera lacrymis æquet?
Vidimus, eheu, vidimus inopes
Media turbas Vrbe iacentes,
Ac ſemineces: Morimur, fruſtra
Ingeminantes, vbi, vbi panis!
Vidimus eheu: ſed quid veterum
Renouo luctus, infanda Famis
Regna rememorans! nunc quoq; lacrymas
Vel nolentibus oculis exciunt.
PO: At perge precor ac vindicē patriæ refer.
FA: Hem iuſta mones. Coit interea
Purpurei ſacer ordo ſenatus,
Grauia incumbitur in conſilia,
Quæritur vrbis Rector & Orbis,

Ac ter-

Ac terrifici domitor monſtri,
Populi vindex, patriæq́; pater.
Nec proficiunt: Namq; vbi ſenſit
Veſana lues, ſua regna peti,
Non ceſſat iners: noua quin Orco
Trahit auxilia, angui comas euocans
Noctis alumnas, quas dum horrificis
Teclas tenebris, matriq; nigræ
Similes nocti, tacitè patres
Agit in medios; ducit longas
Nectitq́; moras, omnia miſcens,
Omnia turbans. Heu quæ tandem
Meta laborum, quis finis erit?
Ft in immenſum monſtrificum malum,
Ac ſæua Fames creſcit in horas,
Iamq́; exitia extrema minatur.
Donec tandem Deus, ipſe Deus
Deſpicit alto miſeratus polo,
Atq; obſcuras retegens tenebras
Media oſtendit Furias luce,

Mentemq́;

Mentemq; ſacro ſanam cœtui
Pius inſpirat. Nec mora, mitis
Papa GREGORIVS, *plena vnanimis*
Voce Senatus reſalutatur.
Fuge monſtrũ fuge, truculenta fuge
Bellua, j orbis condere terminis:
J pete fines maris extremos:
J pete ſtygios Acherontis lacus:
Mitis rerum Papa GREGORIVS
Sumit habenas, fuge monſtrum, fuge.
Papa GREGORIVS, *miſerans cui cor*
Largasq; manus, ac munificos
Natura parens animos indidit.
Papa GREGORIVS, *quẽ caſtus amor*
Numinis alti, fideiq; ſacræ
Chriſtiq; domûs, agit aſſiduè.
Papa GREGORIVS *quẽ mens recti*
Conſcia, culpaq; vacans, ipſo à
Limine vitæ comitata, Petri
Meritò tandem ſede locauit.

Fuge monſtrũ, fuge, Papa GREGORIVS
Summas rerum ſumit habenas.
PO: O ter beatum Pontifice tali gregem.
Sed age, nefando quî eripuit vrbem iugo?
FA: Vix ſceptra manu ſumpſerat aurea,
Pede vix primo ſolium attigerat;
Mox tartareo prælia monſtro
Funeſta mouet; mox ſe partes
Verſat in omnes; grauidas vndiq;
Cereris dotes, ac tela parans.
Feſtina volant circum nuncia,
Jtur ad Euros, itur ad Auſtros,
Volucris Zephyri viſuntur plagæ,
Gelidi Boreæ regna petuntur;
Feruent æquora pulſata rate,
Spumantq; cito remige fluctus,
Et tenſa tument lintea ventis,
Quæritur vndiq; fœcunda ſeges.
Nec ceſſatur: donec rabida
Depulſa Fames trepidum ſponte

Legat exilium, Victor tandem
Pastor ô inclyte remanes victor.
Gemitusq; tui, lacrymæq; tuæ,
Castæq; preces, ac perugiles
Ductæ noctes, plenáq; manu
Diuitis auri pondera sparsa,
Non in vacuos abiere Notos,
Sortita suos sed habent exitus,
Victorq; pius, remanes victor.
Nec in his sistit pietas finibus
Placidi patris, principis optimi;
Maiora ciet. Scilicet omnes
Claudat vt aditus belluæ in æuum;
En Sauromatas mittit in vltimos,
Freta Tyrrheno Balthica littori,
Latioq; Tybri Prussica Vistula
Ostia, socio fœdere iungens.
Iam quidquid habet diues frugum
Pecudumq; ferax area Sarmatum,
Rapidi quidquid vehit vnda Chroni,

Quidquid sinuans Istula colligit,
Locuples quidquid Gdanum congregat:
Id Romanis totum finibus,
Ausu inuectum tramiteq; nouo,
Breui erit cernere, tractare, frui,
Pontificis GREGORII *maximi*
Consilio, ductu, ære, auspicijs.
Opere at quanto! sumptu quanto!
Ibit Gdano prouecta ratis,
Cereris pingui germine fœta,
Ac Sarmaticis prægnans opibus;
Cursuq; nouo Balthica primum
Sulcabit sala, medios inter
Veteres Gottos, ruraq; Vandala.
Mox Cymbrorum transmissa fretum
Cymbrica longè littora radet.
Hinc fluctiuomum ingressa Oceanum,
Orcadas inter Nouergiaq;
Latera, immensum pelagus verret.
Nec veliuolos antea cursus

Siſtet rigidis anchora roſtris,
Quàm montiuagæ ſpatia Iuernæ,
Quàm Brutigenas longius Anglos,
Celtasq; truces, atq; Armoricæ
Patulos fines, atq; Heſperiæ
Latè fuſos tranſgreſſa ſinus,
Se ſe Herculeum ſinuet ſub fretum,
Ac ſic Europam inter & Africam,
Non feſſa Notis, non fracta vadis,
Perlapſa volans, liquidi tandem
Curſu in trepido Tybris ad oſtia
Carbaſa contrahat, ac ponat onus.
Cernes, cernes, iſta Tybri pater:
Iamq; hoſpitibus pande fores nouis,
Inſtrue menſas, conſterne toros.
En Sarmaticus te petit Iſtula,
Iſtula fertilis, Iſtula diues,
Dextramq; parat iungere dextera
Et opes opibus, bona cuncta bonis.
Pontificis GREGORII *maximi*

Conſilio, ductu, ære, auſpicijs.
Viuat fœlix Papa GREGORIVS,
Viuat mitis patriæ vindex,
Viuat ſtygij domitor monſtri,
Multosq; potens regnet in annos.
Vos quoq; clarum venerande patrûm
Viuite cœtus; ô Cardinei
Pars non tenuis lauſq; ſenatus.
Et quem viridans SALVIA *nominat,*
Et quem veteris rura CAETÆ,
Quemq; Picæni CAMERINA *notant*
Mœnia, & almi SFONDRATA *Papæ*
Illuſtre genus: Vos quoq; viuite.
Tu quoq; CÆSI, *quem caſta fides*
Sacræ fecit vigilem gazæ.
Vos quoq; CORNEE, CENTVRIOq;
Sancta illuſtres pietate patres,
Viuite celebres, viuite læti.
Huius vos tam nobilis auſi
Pars magna manet. Vos conſilijs

Cœptisq; nouis lecti priucipes;
Animos magno fecistis patri.
Vos eadem iam consulta satis
Celeri absq; mora fine ornastis.
Viuite læti, viuite in æuum.
Nec mihi tu, quem totius operis
Suprema manus metaq; contigit,
PETRE VULCANI incantatus eris,
Tuus iste labor.
Tu Romulea missus ab vrbe
Spacio vasto, per iuga montium
Patulasq; vias, & caua vallium
Iter emensus, Gdani tandem
Minime vacuus, minimè cessans
Arce stetisti; nec prius operæ
Tam præclaræ feciſti modum;
Quàm Austris Boream, Tyberi Vistulam
Socio iunctos fœdere cerneres.
Igitur florens tu quoq; viue
Viue beatus.
PO: Viuant & omnes floreant dies
Quoscunq; socios vlla pars operis habet.

NATVRA.

VEnerat ad septem gelidos Natura Triones;
Et, rerum facies quæ noua surgit? ait.
Fluctibus insuetis en insultare carinæ
Audent, insuetum nauita tentat iter.
Sauromatas video Ausoniæ succedere terræ;
Et sanctum hospitij fœdus inire noui.
Ergóne miratur veterem pater Istula Tybrim,
Cui nulla quondam parte subactus erat?
Et quicquid diues frugum legit area messis
Sarmatiæ, in Tyberis fertq; vehitq; sinus!
Fallor, an auspicijs Magni restãta peracta est
Gregorij, nati Pontificisq; mei!
Scilicet ille famem populi miseratus & vrbem,
Subsidium æternum præsidiumq; parat.
Magna loquor; video diuos astare fauentes;
Pontificem tantæ dum pietatis amant.

Euge

Euge beate pater, diuûm certissima cura,
His te promeritis præmia quanta manent?
Hæc Natura parens: nec dissensêre Deorum
Agmina, & ætheream mox petiêre domũ.

HIEREMIÆ CLAV-
DIOPOLITANI.



ET PATRIÆ PATER
ET PRINCEPS GREGO.
PONTIF: MAXI.

Officium patris est, natis alimenta parare:
Vt vitam valeant continuare datam. *Parce-*

Parcere subiectis, & debellare superbos,
Inuicti proprium principis officium est.
Ergo dum plebem, Pater ô sanctissime pascis,
Infamem remoues Hesperiáq; famem.
Dum regis imperio populos, & lege coërces,
Non meritò Princeps diceris, atq; Pater?
Principẽ amor populi; cõcors, Sãctusq; Senatus:
In miseros pietas, te facit esse patrem.
Pulchrius est vera esse simul bonitate parentẽ:
Hoc Deus arripuit; sceptra refugit homo.

SIMONIS
TINGEL.



FAMA.



Ecta in auratis tepidi quadigris
Africi, venit ſocijs camœnis,
Fama veſtitu niueo, et rubentes
Compta capillos.
Lœta ſub ſœuã penetrauit Arctõ
Præpes, hincterras rapido iacentes
Impete acceſſit, pelagi & Boruſſi
Littora viſit.
Vidit Eo hanc populus ſub orbe,
Vidit ardenti poſitus ſub æthra,
Frigidi vidit Boreæ colonus,
Vidit Iberus.
Cuius ad lætum modulamen oris,
Stratuseſtpon tus, ſiluitq; torrens,
Nec vaga Eurippi metuenda nautis
Vnda refluxit.

Præſul

Præſul ornatus triplici Tyara,
Ille qui claues moderans olympi,
Præſidet ſacris, pietate motus
Conſulit Vrbi.
Præſules huic purpureo Galero
Maximi ſeſe comites dedêre;
Principes digni celebri triumpho, et
Neſtoris æuo.
Non ſatis ducunt dapibus paratis
Veſcier Romam, Cerere ennegata,
Copia rerum populi togati
Mœnia firmant.
Fama ſic tandem poſito quieuit
Fine; tum cornu increpuit ſonoro,
Credulum lætis animumq; rebus
Turba dedêre.
Audijt Rhodanus, Tanaiſq; et Iſter,
Hemus, & Pindi iuga, Taurus, Ida,
Phœbus, & vates ſimul audiêre
Vrbis & orbis.

Viue

Viue ter fœlix patriæ patrone,
Cura Diuorúmq; hominúmq; custos,
Vt remotis qui populis mariq;
Iura dedisti.
Cardinem venturi age vince secli,
Nec cito in cœtum propera Deorum;
Esse nec cessa populi immerentis
Fautor & autor.

EIVSDEM.

EPIGRAMMA.

GRegorium quondam sublatum ad
Numina Magnum,
Plorauit mœstis fletibus Hesperia.
Tertius à Decimo fama, virtute, fideq́;
Magnum Gregorium, vt nomine, restituit.

Hunc

Hunc quoq; naturæ cedentem legibus, orbi
Subtraxit Magnis mors inimica viris.
Ecce iterũ Princeps, hoc nomine nascitur Vrbi,
Sublatum referat qui pietate Patrem.
Munera prima dicat pietatis (cœpta secũdet
Diui) pauperibus: dixero iure Deo.

STEPHANI
PERZINSKI.

TRIVMPHVS IN STVLÆ.

QVantum tumidos inuidia impetit,
O quantum exiguis rebus et arduis
Confert vnanimis consociatio,
Quam rector regit omnium!
Eois vtinam viribus occidens

Feruen-

Feruentes coeant cum Borea plagæ:
Iam tandem ſapio, cœlituũ cohors,
Captis annue fortibus.
Terrarum ſpatijs vndiq; in vltimis
Claſſes greſſũ alias figere par fuit;
Vltra Gallicias vix licuit mihi
Oram mittere carbaſas.
Iã terras repetã, ſi placet, aureas,
Tranſibo auricomi flumina marginis;
Iam paſcar croceis, pro lutea aurea
Frutex ſurgat arundine.
Me Tybris fluuius principis Vrbium
Romæ lentum adamat, me nimio vocat
Clamore immeritum, prata per omnia
Me vult ducere patriæ.
Hic vinxit ſibi me, meq; voragine
Cœnoſi implicitum gurgitis extulit.
Cœnoſi implicitum gurgitis extulit.
Iam poſſum Oceano tradere lintea
Quamuis æquora ſœuiant.

VRBANI LILIENTALI

OENOTRIA ET BORVSSIA.

Oenotria æquor dum fragili ſecat
Fœlix carina, & lintea cærulo
Credit freto, mox Argyrus ſe
Agglomerat comitẽ atq; Chryſus.

Portum petenti veliuola rate,
Lentum gradum fert obuia Pruſſia;
Dextram inſerunt dextræ, atq; tecta
Hoſpitij ſubeunt ſuperba.
Mox has profundit pectore Pruſſia
Voces, ratem quæ cauſa Boruſſiæ
Admouit oræ, error vine?
Aut Aquilo tumidus procellis!
Sic orſa ad hæc Saturnia: Boſphorus
Non me fefellit, non Notus horridus
Caſu impulit, ſed iuſſa gentis
Romuleæ, ac vigilis parentis.

Ergo Borussi si cerealibus
Armis abundant, si tibi copia,
Concede, grates (est caducis
Si qua fides) meritas habebo.
Credas vt his hunc do comitem obsidē.
Ingressa contra Prussia: quod petis,
Iungam tibi pacto perenni
Dexteram, & auxilio leuabo.
Tantum potest concordia nobilis:
Quæ culmen arcis stelliferæ regit:
Terra atq; moles Amphitrites,
(Si deerit) chaos est perenne.

THOMÆ ZE-
CHII.

GEDA-


GEDANVM AD ROMAM.

QVòd non diuersas mittit quas India merces
Polliceor, veniam da mihi Roma potens.
Munera proueniunt nō omnibus omnia terris:
Æra Corinthus habet: Marmora Memphis amat.
Cretæi gaudent viuis Indiq; Beryllis,
Assyrij grato Balsama fonte ferunt.
Afric a Camelos, Elephantes India gignit:
Bellica magnanimos Dannia nutrit equos.
Et mihi Diues opum Cererem concessit opimā
Tellus; aurum, oleas, vina, metalla, tibi.
Sed bene prouidit nobis natura Deusq;:
Quod seris hoc careo, quod sero Diua cares.
Mutua succedent his si commercia rebus;
Certè res nobis nulla deesse potest.

Cedant Cretæi, cedat Memphitica tellus
Quisquis cum Roma contrahit ille sapit.

BERNARDI
HEIDERI.

PRVSSIA AD LATIVM.



Latium, vna omni regio notissima mundo,
Accipe, sed facili quæ fero dona, manu.
India mittat Ebur, mittant sua thura Sabæi,
Africa tosta Hebanum, fulua metalla Tagus.

Non

Non ego, vel Tyrio bis tinctas murice vestes;
Vel gazas Arabum delitiasq; fero:
Mollia nec porto, quæ Seres vellera quondam
Nere, vel Ausonides iam didicêre nurus.
Annis, progenies mea forti robore nata,
Excolit a primis irrequieta Solum.
Hinc mihi multa Ceres, & puri copia farris:
Hæc fero tu ne ideo rustica sperne bona.
Sæpe Quiritib. est ab aratro ad sceptra vocatus
Dictator, scidit & vomere rursus humum.
Pisones, Fabij, Curij, Cicero atq; Catones,
Quo fuerit pretio rustica vita docent.
At nunquam prudens Asiæ ludibria natos
Passa (nec immerito) Roma videre suos.
Non agimus vitam illecebris ostróue, Crocóue:
Verùm quod cultus munere fundit ager.

ANDREÆ PETRI
SICVLI.

ET ANIMVM ET CORPVS.

NOn tantum æthereo scit pascere pectora rore,
Atq; greges ouium dogmate GREGORIVS:
Sed nouatur hæ inopi partitur dogmata, fruges,
Et promittit opem largius ipse suam.
Sed quis tã placido aspexit te lumine Diuûm!
Quis suasor tanti aut muneris autor erat!
Haud dubium, quin te DEVS his instruxerit ausis:
Perge modo, & tutus numina portus erunt.
Terra Europa, tuas si quas tenet area messes,
Effunde, intentis vellaq; pande Notis.
Tuq; Asiæ tellus, quas fundis, collige merces:
Oceano maior nascitur ordo maris.
Adria ventorum domitor, rege carbasa vẽtis:
Tu Neptune tuas contrahe lenis aquas.

Nos

Nos etiam sacras iungemus puppibus aras:
Puppis vt alterno littore ponat opes.

IACOBI MOLLERI.

NVNCIVS.

LÆtus Hyperborea, labor hîc contendat, ab ora,
Littus in Hesperium, quà mare Tybris adit.
Hic dextro Dominam recreet rumore potentẽ,
Romano & populo nuncia læta ferat.
Nuncia, Sarmatica quamuis sata pene sub Arcto
Audenter referat (sortem animosus habet)

Cesset

Ceßet Pyramides monumenta ſtupere priorum,
Quêis noua ſuccedunt munera Gregorij.
Auſtro qui Boream miro coniunxit amore,
Auſoniis Pruſſos conſociauit; Jo.
Marmoribus Xiſtus Romam: hic Cerealibus auget
Armis: illa hominis, ſunt merita iſta Dei.

MICHAELIS HORNÆ.

INEMPORIVM GEDANENSE.

DAntiſcum Dani veteres tenuêre coloni
(Certam ſi meruit fama vetuſta fidem)
Littora ad Oceani ſtatio gratiſſima nautis,
Arctoo inprimis mœnia nota ſolo.
Inter Pruſſiacas tantum caput extulit vrbes:
Quantum Roma Italis vrbibus ipſa præit.
Huc Aquilone Gothus Boreali fertur, et Euris
Finno; Caledonius Belga, Britannus adit.
Hinc ſolet Hiſpanos, & Gallos viſere Pruſſus,
Jam Romanum etiam tentat adire ſolum.
Quid memorẽ erectas ad ſydera vertice turres?
Quid vallum? aut veterum grandia templa patrum?
Ecce nouo Diuûm auſpicijs ſplendore ſuperbit,
Dum tibi dat ſocias Roma beata manus.
Quo nihil auguſto tribuit ſors fœdere maius:
Nam laus magna bonis eſt placuiſſe viris.

BALTHASARIS AVGVSTINI.

PIE-

PIETAS IN PATRIAM.

Viuat Gregorius, quo non præstantior alter,
Nec fuit in miseros promptior vsq; manu.
Non is diuitias, nec auarus colligit aurum,
Largus habet prõptas ad pia dona manus.
Ecce nouo inuento patriæ succurrit egenti;
Venturoq; quo munus opemq; parat
Corniger Hesperidum sibi iam director aquarũ
Prussiacas lætus quo duce iunget aquas.
Sarmaticusq; Aquilo Calabro disiunctior Austro
Cõueniunt: facit hoc cõsociatus amor.
Et quæris quantum vera pietate coruscet?
Ardenti Helias talis in axe fuit.

STEPHANI VOGE.

NOVA

NOVA PACTA, NOVI AMICI.

Ripas qui gelidi Danubij colit,
Prima & longiflui flumina qui bibit
Nili, quem cohibent litora Thetios,
Et qui regna colit thure fragrantia,
Et Rheni tumidi nobilis accola
Intortisq; niger crinibus Æthiops,
Mirantur Tyberim vatibus omnibus
Et carum superis esse potentibus.
Mirandũ magis est quod stabili pater
Tybris connubio iungitur Istulæ:
Algens & Boreas fœdera contrahit
Austro cum tepido & pacta perennia.
Nunquam id præteritum tempus inaudijt.
O magni sapiens consilium Patris.
Quo non Marte furens Roma pedem tulit

Peruasit facilis, Gregorio duce,
Lauro Palladia & pace sequestribus.

PETRI MADIER.

AD CHRISTVM OPT: MAX.

CHriste potens rerum, cui sternitur æquor, adesto;
Anxia ne tumidis cymba feratur aquis.
Da placidis, vt eat, redeatq; per æquora ventis,
Coniuncta Ausonio Prussica cymba solo.
Æolus armatas hyemes, Boreamq;, Notumq;
Compescat iussu, Christe benigne, tuo.

Eure

Eure veni, Eure insta, dū Soluet littora classis:
A Gadibus Zephyrus carbasa pellat ouans.
Tu mare iactatis, sacra tu sis anchora, portus;
Sic crescat maior gloria Christe tibi.

IOANNIS LEONIS.

PVLCHRVM CHARITAS MONIMENTVM.

VRbem Romuleam, decus patentis
Orbis, visere qui solent, auita

Vt cernant monimenta, digna priſcis
Sæclis, atq; oculis notent vetuſtas
Moles, multa quidem ſtupere poſſunt:
Ædes magnificas, prælta fana,
Thermas Cæſareas, theatra, colles
Septem, Pyramideſq; prædicandas,
Et ſexcenta; quibus Minerua doctam,
Vt rectè fierent manum applicauit.
Hæc illi ſtupeant: ego ſub Arctis
Horrentes habitans plagas, ſtupeſco
Pulchram Gregorij arduamq; verſus
Cœlum Pyramidem, igneo coruſcam
Ac fulgentem apice, & Dijs beatis
Iucundam, & ſuperùm Deo parenti
Gratam. Quid placeat magis Tonanti
Quàm quæſita Ceres, egenti in Vrbe
Plebi, & Sarmaticis vocata ab agris?

ANDREÆ ROZ-
RAZEVVSKI.

ODE

ODE IN LIBE-
RALITATEM GRE-
GORII XIV. PONT.
MAXI:

TErrarum decus inclytum,
Heroumq; domus ſplendida fortium,
Et cuſtos fidei ſacræ,
Orbis Roma caput, non manibus dare
Plauſus ſola potes, tuum
Virtus rara Patrem noſcere finibus
Dudum Sarmaticis docet.
Ecquis magnanimi nomina neſciat
Orbi cognita Præſulis!
Cuius templa fidè, et Relligio caput
Effert, pandere lucida
Cui diuùm imperio, et claudere limina.
Conceſſit ſator omnium.
Quicunq; eſſe Deo charus, & aurea

Geſtit

Gestit tangere sydera,
Summis subijciat Præsulibus caput.
At non sola potentia
Et non solus honos te euehit ô Pater:
Sed clementia, quæ docet
Te quas indus opes atq; Seres legunt
In plebis miseræ dapes,
Et conferre togas & studium pium.
Tu gentem patriæ parens
Tu seruas inopem diuite dextera:
Tu præbes epulas, quibus
Et mens pascitur et corpora pauperum.
Fœlix ô nimium ac potens
Vidisti celebres Roma viros diu, &
Mundi lumina fulgida;
Magnos Pontifices, Gregorios, Pios.
Hos Germania Sarmatis
Miratur gelidis proxima, prædicat
Hos gens Sauromatum potens,
Supplex barbarus abs his petijt fidem

Moscus pacis & arbitros.
Nec Prussi minus, aut nomen ab horridis
Transyluania quæ capit
Syluis, suspicit hæc lumina gentium.
Quid toto memorem fere
Diuisam reliquo abs orbe Britanniam!
Aut queîs frigida pocula
Miscet tristis Arar: diues Iberia aut
Auro quos satiat viros!
Te pax alma iuuat, te pietas fouet.
Fumans non hominum cruor,
Non Mauors Geticus, pallida funera,
Non armata minis manus.
Sunt pax atq; salus optima gentibus;
Summi filius arbitri
Illa & moribus & nomine prodidit
Illi grata salus virûm.
Is pacem roseo sanguine reddidit:
Illum tu sequeris ducem,
Illiusq; geris munus in omnibus

Illi quod placuit facis,
Cùm præbes miseris prandia ciuibus.
Si immortalia quærimus:
Nil est quo melius scanditur ad Deos,
Quàm quod quisq; prius tulit
De cœlo auxilium dat populis lubens.

THOMÆ DOR-
MANNI.

DVCE ET AVSPI-
CE DEO.

PVppi quæ Cererem vehit Borussam,
Vt cursum teneat precor secundum
Et tutas subeat redux arenas:
Quod fiet dubio procul remoto,
Cœptis

Cœptis GREGORII *fauebit ipse*
Diuorum atq; hominum pater: iuuabit
Vastum per pelagus secare classem
Sulcos, vt redeat suas ad Arctos:
Et iam spirituum vnus est ab alto
Cœlo, missus ad æquoris profundi
Fluctus, qui ratibus viam Borussis
Commonstret Daniæ in mari, ac per vndas
Immensi Oceani, Britannicosq;
Fluctus Herculeum ad fretum & columnas
Alcidæ comitetur; inde flectat
Versus Geryonis feri potentem
Terram: post Lygurum penes minantes
Neptuno scopulos ratem volantem
In Tyrrhenum agat æquor, & secundo
Pellat numine, Tybridiq; reddat.
O quantum pelagi rates Borussæ
Emensæ Tybridi hoc duce inferentur?

GEORGII NIEMO-
IEWSKI.

VBI AMICI, IBI OPES.

Conſeruare decus perenne, magnum
eſt:
Et famæ veteris fouere lucem,
Pulchrum: at nil melius videtur
eſſe
Quàm famæ addere priſtinæ decorem,
Atq; augêre decus recenti honore.
Hanc artem Iſtula ſemper eſt ſequutus,
Ex quo Carpathijs iugis per arua
Fertur, Sarmaticoſq; radit agros,
Donec cæruleas caput ſub vndas
Et Ponti vada condat: ingens
Nimirum decus auxit, ac honori
Incrementa dedit ſuo, dabitq;.
Nunc verò Iſtula ſpiceis reuincte,
Atq; ornate comis, nouo triumpho
Exultare potes, choroſq; lætus

Cum

Cum Nymphis agere Arctico ſub axe.
Nam Flauus Tyberis parens aquarum,
Omnes qui fluuios honore vincit,
Et claret nitido per Occidentis
Eoaſq; plagas diebus olim
Multis nomine: deſinet nec vnquam
Inſtar ſydereæ nitere lucis,
Jungit fœderibus ſibi te amicis
O magne Iſtula. Quin magis ſtupeſcis
Inſignem Auſonij Tybris fauorem?
Quantus ſurgit honor tibi ex Latinis
Vndis! gloria quàm fluit perennis
Ex clara Heſperia, ſoloq; forti?
Quàm te Romuleus beare Tybris
Geſtit, dum ſociam fidem atq; dextram
Offert, reu veteres peroſus amnes.
Fœlices igitur, beata ſæcla,
Iuncti fœderibus nouis amici
Durate, & ſtabili fide atq; lege

Magno

Magno GREGORIO *duce admouete*
Concordes operi manum instituto.

ALBERTI ZIE-
LINSKI.

LAVDIS SE-
GES MVNIFI-
CENTIA.

QVis negathoc, dum bella sinunt, dum limina clausi
Custodit Janus templi, pax floret vbiq;
Conueniens laudi facinus; si lege Toparcha
Regnum directa moderetur, & omnia libret
Consilijs grauibus! quod si res postulat, audax
Fulminet eloquijs, animos ac raptet ad æquũ,
Impia dum Mauors cit bella, bonũq; Quirini
Deponit nomen, populos atq; hosticus ense
Enecat hostili, certare viriliter armis
Tum parat, inq; fugã superatos conijcit hostes.
Tu verò, cui imposita est persona Tonantis,
Cui Latium innumeros voto desiderat annos,
O Præsul quid agis? nonne hæc præconia factis
Digna tuis censes, fidei lux maxima Christi?
Saturnum qui pace pia, Augustumq; quieto
Dũ vincis regno, præbes Numa iura, Lycurgus
Intactasue Solon cessas non condere leges.
Eloquar an sileam, Præsul dignissime cœlo,
Admiranda tui, quibus auges dona benigni
Res Italas animi! quæ dum bibit aure patenti,
Europæ admiratur hians, Libyæq; colonus.
Mœsib⁹ Ausoniã superẽt ne Gargara terrã,
Neue Samo, & lætæ terrarum cedat alumna
Italia Vngariæ frumentis, concidat almus
Maiorum nec honos, aut ardor hebescat auitus

Vbere fertilitate beas & diuite corniu,
Vrbem: non largo vincit te munere Nerua,
Non Cimon aut Titus, non tu qui iure Bohemũ
Rexisti populum, Rex Venceslae, benigno.
Solus Anastasius Præsul sanctissimus, vni
Æquiparandus erit tibi, qui totius egenos
Oenotriæ fouit, totam (miserabile dictu)
Europam malesuada fames dũ vrgeret acerbè.
Quæ te munificũ tã prospera secla tulerunt
Pontificem, foueas vt egenos diuite nummo,
Patris non domini ritu? Quis carmine dona
Explicet? optasti, plenas dum fruge quotannis
A Borea, inferri Latio, super æquora, puppes.
Aes quodcunq; tenent ferrato ærария poste
Soluis; & afflictos miserans solaris egenos.
Quod tibi vis soluat tanto pro munere mun⁹
Pauper opum ciuis? gratum nil præter amorẽ,
Credo equidem. grateſq; pias, quæ iure, patrono
Debentur tanto, quo maius nil habet alma
Tellus: quo viuo multo meliore metallo
Sæcla fluunt; oritur multoq; beatior ætas.

Maxi-

Maxime sacrorũ, Christiq; Vicarie Præsul,
Cũm tot sustineas, & tanta negocia solus,
Templa Deum renoues curæ, virtutibus ornes
Ausonias Vrbes, totus cum deniq; mundus,
Sit curæ iugenti, longo mea carmine Musa
Tempora non audet tua vel sermone morari.
Quapropter veluti flos, munificentia latè
Dum tua floreſcit, laudis non indiga nostræ;
Versibus addo modum: sed tu dilecte Tonanti,
O Præsul, virtutis iter sectare & egenos
Mortales; fortuna premit quos inuida, pasce.
Et sic posteaquam totum virtutibus orbem
Implebis, septum vera pietate, fideq;
Æterna indigetem capiet te, regia cœli.

PAVLI FOR-
RO TRANSYL-
VANI.

PROVI-

PROVIDENTIA PONTIFICIS.

Æpius acta fame, dum priſca potentia magni
Floruit imperij, Roma ſuperba ruit.
Commodius iam prouidit natura ruenti,
Conſilio vnius Principis atq; Patris.
Vix licitum fuit afflictæ ſuccurrêre plebi
Olim, ne regni ſurgeret ambitio.
Teſtatur Melius non digno funere merſus;
Et Gracchus ſimili perditus exitio.
Nunc licet afflictæ cuiuis ſuccurrere Romæ,
Diſcis vt vnius, quam modo cernis ope.
Vnanimi ecce Patres conſenſu tempora longè
In ventura iterum, nunc tibi proſpiciunt.
Ne populo florens, depreſſa hac peſte iaceres,
Clarorum effecit prouida cura Patrum.

En

En fruges plebi extremo procurat ab orbe;
Et verè hanc fructu relligionis alit.
O quanto his Patribus teipſa fœlicior extas;
Non es tam priſcis inclyta Principibus.
O quêis cœlo illos Heroes laudibus æquem?
Quid? cœlum totos quærit habere ſuos.

CLEOPHAE BIALOCHOWSKI.



VICIT DVRVM ITER PIETAS.

PInus Sarmaticis iugis bipenni
Deiecta, & pelago truci remissa,
Tandem Verenouo, Ceres ab Arcto
Hyberna, vt videas Tybrim potentem
Mandat: ne dubita, fauebit Auster
Sœuus, cum Borea ruens volucri
Nereus ipse maris DEVS fauebit,
Infames scopulos feraſq; Syrtes
Vt possis fugere & bono potiri
Portu, Nereidas duces habebis.
Omnes te superi, vt precor, iuuabunt
Nec iusto auxilio Deûm carebis.
Quamuis non Lybicas opes, nec aurum

Fuluum

Fuluum, nec Tyrio colore pictas
Vestes, aut ebur India petitum
Defers, nemo tamen potest inanem
Appellare ratem, imò conferendam
Magnis diuitijs rati refertæ.
Quare? testis amoris es locuples
Magni GREGORII I parentis Orbis.

GREGORII BORNEMISSÆ.

FINIS.

BIBL. REG. UPSAL.

59:146

Upsala Univ. Bibliotek
Exhibit. bar. reg. coll.
[barnian...]

BIBL. REG. UNIV. UPSAL.

146

CARMINA
LAT. ET GRÆCA
VAR. ARGUM.

T. VIII.